

temporibus persecutionis Diocletianae coeptae Nicomediae a. 303 Febr. 23. Illo fere tempore Diocletianus Romam advenit vicennalia ibi celebrans a. 303 Nov. 20, nec dubium est imperatore praesente poenas contra Christianos constitutas severius quam antea exactas esse. Eodem rettulerim quod ait Lactantius¹ post paucos menses ex urbe Diocletianum rursus exiisse propter *libertatem populi Romani* sibi intolerabilem. Ita quamquam, ut dixi, numeri in minoribus discrepant, dubitationes graviores recte tolluntur eiecto Marcello. — Sed Marcellus etsi inter episcopos urbis Romae non recte admissus est, admissus est non sine causa. Extant elogia tam Marcelli quam Eusebii non multo post a papa Damaso († 384) scripta², quae utrumque 'rectorem' appellant et quamquam non satis intelleguntur deficiente rerum harum urbanarum notitia plena³, hoc ostendunt sub eorum regimine propter lapsos, ut saepe antea, sectarum Christianarum litigia violententer exarsisse et utrumque a tyranno, scilicet Maxentio, in exilium actum esse, Eusebium in Sicilia obiisse exulem. Haec certe non sunt ficticia. Etiam Augustini adversarius Petillianus Marcellum episcopum agnoscit Miltiadem appellans tertium episcopum a Marcellino³. Denique catalogi Liberiani auctor narrans res tempore proximas et sibi plene notas non temere Marcellum episcopis inseruit adiecto spatio a. I m. VII d. XX. Haec ut inter se concilientur, sta-

1) De mort. persec. 17. 2) Duchesne 1 p. 166. 167. Diligentissime et doctissime egit Rossius de elogiis his *Roma sott.* 2, 201—207. Apparet ex iis in lapsis tractandis tam Marcellum quam Eusebium exegisse paenitentiam, contra adversarios duce Heraclio contendisse, ut venia concederetur omnibus eam flagitantibus; quod Damasus ait de Heraclio omnino, *Christum eum in pace negasse, pacem intellegit ut Cyprianus passim* (ep. 55, 5. 17. ep. 57, 1 in. ep. 68, 5 c.) eam quae propter paenitentiam lapso conceditur ex foedere Christiano, contra laudans Eusebium *foedera pacis integra servantem*. Comparari poterit iudicium de secta hac Cypriani de lapsis c. 16: *ante offensam placatam indignantis domini . . . vis infertur corpori eius et sanguini et plus modo in dominum . . . delinquant quam cum dominum negaverunt; pacem putant esse quam quidam fallacibus verbis venditant: non est pax illa, sed bellum*. Verba elogii dedicati Marcello (cf. Rossi l. c. et Harnack, *Gesch. der christlichen Litteratur* 1, p. 661) *exemplo pariter pulsi feritate tyranni . . . pertulit exilium* adhuc male intellecta et propterea coniecturis temptata (cf. Rossius l. c. p. 206) ita accipienda sunt: *exemplo (Eusebii decessoris), pariter pulsi feritate tyranni, (Marcellus) pertulit exilium*. 2) Sed tamen quae innuit Eusebius de mart. Palaest. c. 12 de horum annorum probris, ab iis enarrandis abstinens, recte respondent. 3) Augustinus in breviculo collationis cum Donatistis c. 34 (vol. 9 p. 575 Maur.): *dixerunt Melchiadem tertium episcopum fuisse ab illo qui tunc erat cum traditio illa facta esset*; significatur Marcellinus (vide adv. Petill. l. 2 c. 202 vol. 9 p. 275).